

I N D E X **LECTI O N U M**

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCXL

A DIE XXVII. M. APRILIS

PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

L I T E R I S A D L E R I A N I S .

Longe lateque disseminata est infelicissima opinio; qua Cyamites, cujus sacellum memoravit Pausanias I, 37, 3., Jacchus fuisse putatur nulla alia de causa, quam quia Jacchi quoddam signum ante dictum est. Quod argumentum non plus valet, quam locus hujus Cyamitae, cujus templum ad viam sacram situm erat. Immo Pausanias claris verbis fatetur, nihil se explorati habere, utrum Cyamites homo fuerit, qui primum fabas sevisset, an fabarum sationi, quam ad Cererem referre auctorem nullo modo liceret, Cyamiten aliquem heroa praefecerint. Qui igitur Cyamiten usque eo ignorat, ut homine an heros fuerit statuere non possit, eum audacissime hoc dicentem inducunt, Cyamiten ab Jaccho deo nihil quidquam differre. Quid, quod Pausanias, ut recte vidit Lobeckius Aglaoph. p. 253, ibidem dicit, Eleusinius mystas religione tactos faba abstinuisse. Quomodo igitur convenit, fabam inventam putare ab Jaccho, horum ipsorum deo Eleusiniarum? id quod Pausaniae ne affirmanti quidem creditum oporteret. Denique caeteri, qui Cyamitae herois meminerunt, Photius p. 182, 8 et grammaticus Bekkeri p. 274, 14, plane silent de Jaccho. Verum enimvero Pausanias, qui de Cyamite parum sibi cognito nihil affirmare audet, eo tamen lapsus videtur, quod eum ad fabarum sationem revocandum esse censuit. Quanto melius I. I. Photius, *Κυαμίτης: ἥρως ἦν ὄνομα κύριον· ἴσως δὲ ἐξ ἐπωνυμίας τῶν κυάμων, διότι παρ' αὐτῷ ἐκληροῦντο οἱ κυαμευτοὶ (codex κυαμίται) ἄρχοντες· ἢ ὅτι ὁ κύαμος ἐπιπράδκετο παρ' αὐτῷ.* Et posterius quidem tum eo displicet, quod forum fabarium extra urbem fuisse in remotiore agro nullum videtur, tum minime confirmatur loco Plutarchi Vit. Isocrat. p. 237 T. XII., in quo ἡ *Κυαμίτις* (scil. γῆ) haudquaquam forum fabarium, sed illum ipsum agrum, ubi erat Cyamitae herois sacellum, declarat. At simillima veri est prior explicatio, secundum quam Cyamites heros illum locum significavit, in quo magistratus Atheniensium suffragio electi sortiebantur: quem locum non in ipsa urbe, sed ad viam sacram fuisse nemo jure mirabitur. Quum enim hoc modo Cyamitae heroi nomen ex eo impositum sit, quod illud genus suffragii primum invenisset, vel quod primus inter magistratus tali suffragio lectus esset: magistratuum sortitioni ille locus prope sacer et religiosus necessario relinquendus erat. Profuerit autem cum Cyamite isto comparasse Ardetum, de quo olim dixi Sortit. Judic. Attic. p. 7. Nam Ardetus quoque et heros dicebatur et vero locus, in quo quum extra urbem esset prope Ilissum supra stadium Panathenaicum, tamen heliastae recens electi jurejurando quotannis adigebantur, propterea quod Ardetus heros tumultuantis populi jurejurando adacti animos reconciliasset. Restat Hesychii glossa, *Κυαμήτης* (recte emendant *Κυαμίτης*): ὁ πάγκος καλούμενος. Sic et codex et Favorinus. Quae male ab omnibus sic correctae, ὁ *Ἰακχος* καλούμενος Pausaniae nimium male explicandi occasionem dederunt. Sed egregie me docet Bachmannus, tantum abesse, ut ὁ πάγκος mutari debuerit, ut hic dictum sit aptissime; esse enim πάγκος vocem infimae graecitatis e mediae latinitatis luto haustam et *pancus* πάγκος sive *bancus* βάνκος significare *tribunal*. Ita πάγκος τρεῖς

legi in Synodo Florentina atque ἔχειν βάρκους in Charta Rogerii, de qua re conferendum esse Du Fresne in Glossario mediae et infim. Latinit. T. I col. 968 et postea sub *Pancus*. Tum recte judicat Bachmannus, *Κναμίτης* de tribunali omnino intelligi potuisse: fuisse enim *Κναμίτης* Photio auctore eum locum, *παρ' ᾧ ἐκληροῦντο οἱ κναμευτοὶ ἄρχοντες*; atqui tantam rem tam ad omnes cives pertinentem plane in tribunali quodam esse actam videri. Postremo Bachmannus, ut fidem faciat, in Hesychio jam dudum atrocissime interpolato medii aevi vocabula inveniri, hodiernum Hesychium evolvi jubet s. *Γέλγια*, s. *Ἐν κημῷ*, s. *Καπητὸν*, s. *Καππάτια*, s. *Λεύγη*, s. *Παρατούριον*, s. *Στάλη*, s. *Ὠμοστράγω*.

INDEX LECTIONUM.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS, P. P. O., h. t. Rector, 1) quinis diebus h. VIII—IX. *historiae ecclesasticae primam partem* enarrabit, 2) quinis diebus h. IX—X. *historiam dogmatum* tradet; publice in *Seminarii sodalitia* quaternis diebus h. II—III. *catechetice* praecipiet, et sodalium homileticas et catecheticas exercitationes, more solito, moderabitur.

D. IOANNES PHILIPPUS BAUERMEISTER, P. P. O., 1) privatim senis dd. h. X—XI. *Evangelia Matthaei, Marci et Lucae* interpretabitur; 2) privatim ternis dd. h. XI—XII. *theologiae biblicae* partem priorem tradet; 3) publice binis dd. h. XI—XII. disputationes de rebus *dogmaticis* moderabitur.

D. CAROLUS FRIDERICUS AUGUSTUS FRITZSCHE P. P. O., I. publice binis dd. h. II. selecta Jesajae et Ezechielis loca interpretabitur: II. privatim senis dd. h. X. tum Johannis evangelium ejusque epistolas, tum apostolorum Acta explanabit: III. privatim quaternis dd. h. XI. Theologiae dogmaticae partem *posteriores* tradet.

D. HENRICUS HAEVERNICK, P. P. E., publice librorum Danielis et Esrae capita Chaldaice scripta interpretabitur *binis diebb. h. II*. Privatim 1) *introductionem* in libros V. Ti canonicos et apocryphos tradet *quinis dd. h. VII.*; 2) *Psalms* explicabit *quaternis dd. h. VIII.*; 3) theologiam *moralem* docebit *quaternis dd. h. IV.*

A 2

Licent. JULIUS WIGGERS, phil. Dr., I. *gratis* historiam reformationis ecclesiasticae saec. XVI. patratae enarrabit dd. Martis et Veneris h. IV. II. *privatim* 1) epistolas Pauli ad *Romanos*, *Colossenses* et *Ephesios* interpretabitur sexies h. X. 2) *Introductionem in Novum Testamentum historicam et criticam* tam generalem quam specialem praeibit quaternis dd. h. III. 3) *encyclopaediam et methodologiam theologicam* tradet totidem dd. h. VII. mat. III. *privatissime et gratis* societatis suae theologiae historicae exercitationes moderari perget d. Lunae h. V.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. FERDINANDUS KAEMMERER, P. P. O., tradet: 1) *Jus hereditarium Romanum*, duce *Heise*, hora XI. 2) *Jus feudale commune et Mecklenburgicum*, duce *Dieck*, hora X.

D. CONRADUS THEODORUS GRUENDLER, P. P. O., tradet: 1) *Jus ecclesiasticum*, duce *Wiese*, hora III. senis diebus. 2) *Artem referendi ex Actis judicialibus*, quaternis diebus, hora postmodo definienda.

D. AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER, P. P. O., docebit 1) *Encyclopaediam juris*, duce compendio de *Loew*: *Einleitung in das Studium der Rechtswissenschaft*, Zürich 1835, binis diebus, hora VIII. 2) *Institutiones*, duce *Konopack*, senis diebus, hora IX. 3) *Jus publicum et privatum utriusque Megapoleos*, ex schedis suis, senis diebus, hora XI. 4) *Examinatorium Pandectarum* habebit, secundum compendium *Heisii*, quaternis diebus, hora deinde definienda.

D. FRIDERICUS RASPE, P. P. O., tradet *principia processus civilis*, tam *communis*, quam *Megapolitani*, duce *Linde*, sexies, hora XI—XII et XII—I.

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS ELVERS, P. P. O., tradet: 1) *Pandectas*, excluso jure familiae et hereditario, quaternis diebus, hora XI et XII. 2) *Introductionem in Institutiones et Pandectas*, duce *Warnkönig* (*Vorschule der Institutionen u. Pandecten*, Freiburg 1839), binis diebus, hora XI et XII. 3) *Jus ecclesiasticum*, duce *Walter*, edit. VIII., quinis diebus, hora IV.

D. GEORGIUS BESELER, P. P. O., tradet: 1) *Jus germanicum privatum*, juncto jure mercatorio, cambiali et nautico, secundum *Krautii* librum: *Grundriß zu Vorlesungen über das deutsche Privatrecht*, Göttingen 1839, edit. sec., quinis diebus, hora VIII et IX. 3) *De principiis juris germanici* in foro recte adhibendis disseret, exercitationesque practicas ad hunc finem instituendas moderabitur, diebus Mercurii et Jovis, hora IV—V.

D. THEOPHILUS HENRICUS FRIDERICUS GAEDCKE

1) de causis quibusdam civilibus iisque difficilioribus atque cognitu jucundis disputabit et 2) hora commoda scholam suam civilem eamque practicam, quater per hebdomadem moderabitur.

IN FACULTATE MEDICA.

D. JO. GUILIELMUS JOSEPHI, P. P. O., Academiae senior, tradet *Artem obstetriciam*, hor. IX—X.

D. HENRICUS SPITTA, P. P. O., tradet quaternis hebdomadis diebus 1) *Pathologiam et Therapiam specialem* et 2) *Medicinam forensem*; 3) *scholas casuisticas* s. medico-practicas instituet binis hebd. diebus.

D. CAROLUS STREMPER, P. P. O., h. t. Decanus, docebit d. Lun., Mart., Jov. et Vener. 1) hora III—IV. *artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* demonstrationibus in cadaveribus illustrandam, 2) exercitationes practicas in nosocomio urbico et in clinico medico-chirurgico quinquies per hebd. hor. VIII—X. moderari perget.

D. C. FR. QUITTENBAUM, P. P. O., hora VIII—IX. in demonstrationibus anatomicis *Osteologiam, Syndesmologiam* et *Myologiam* quater per hebdomadem docebit; 2) hora XI—XII. *Oculorum morbos* quinquies per hebdomadem tradet; 3) *Cursum operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* cupientibus offert.

D. FRIDERICUS HERMANNUS STANNIUS, P. P. O., docebit: *privatim*: 1) *Physiologiam generalem et specialem*, quotidie hor. matut. VII—VIII; 2) *Anatomen comparatam*, quotidie hor. VIII—IX.; *privatissime*: 3) *Historiam evolutionis avium et mammalium* binis diebus.

D. C. KRAUEL, P. P. E., exercitationes practicas in clinico obstetricio moderabitur h. X.

D. GEORGIUS FRIDERICUS MOST docebit: 1) *Medicinam politico-forensem*, in ductum libri sui, anno 1839 Lipsiae editi; 2) *Pathologiae et Therapiae, et generalis et specialis*, primam partem, in ductum „Praelectionum J. L. Schönlein“ a. 1839. Edition. 4tae.

D. JO. FRID. GUIL. LESENBERG has lectiones offert: 1) *Encyclopaediam et methodologiam artis medicae*, 2) *chirurgiam*, 3) *artem obstetriciam*, 4) *repetitoria et examinatoria*.

D. CAROLUS HANMANN 1) *chirurgiam* duce *Chelio* (ed. 5.), et *ophthalmiatriam* duce *Beckio* (ed. 2.) docebit. Privatissime sed gratis conversatorium et casuisticum medico-chirurgicum offert. Neque iis deerit, qui operationibus ophthalmiatricis institui voluerint.

D. SCHROEDER offert 1) *Medicinam forensem*, 2) *Pathologiam et therapiam morborum psychicorum*, 3) Repetitoria et examinatoria.

D. LUDOVICUS DRAGENDORFF 1) docebit *artem obstetriciam* quinquies per hebdomad.; 2) in operationibus obstetriciis exercendis auditores erudiet; 3) Examinatoria et repetitoria quarumvis artis medicae partium cupientibus offert.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

D. J. S. BECK, P. P. O., 1) *philosophiam moralem* quinquies p. h. h. X.; 2) *Calculus differentialem* quinquies h. XI. docebit.

D. ERN. AUG. PHIL. MAHN, P. P. O., publice 1) *Vaticinia Messiana Pentateuchi et Prophetarum V. T.* illustrabit quinque diebus h. XI.; 2) *Lectiones Arabicas* continuabit binis diebus h. II.; *Exercitationes Ebraicas* moderabitur ternis diebus h. III.

D. FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE, P. P. O., privatim 1) *Syntaxin linguae latinae* docebit diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni h. XI., 2) *Aeschyli Persas* interpretabitur diebus Martis et Veneris h. XI.; publice Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo *Aristophanis Pax* et *Terentii Andria* tractabuntur.

D. JOANNES ROEPER, P. P. O., publice 1) docebit: *Microscopiis* tam simplicibus quam compositis uti, die Saturni h. X—XII.; 2) privatim quinque diebus h. VII. *botanicen generalem* exponet, demonstrationibus illustrandam; 3) *Itinera botanica* instituet die Saturni, horis potissimum pomeridianis.

D. E. D. H. BECKER, P. P. O., docebit publice 1) *Culturam sylvarum* ternis diebus h. XII.; privatim 2) *Culturam plantarum agrestium* quaternis diebus h. X.; 3) *Agros metiendi, partiendi formasque delineandi doctrinam*, adjungendis exercitationibus practicis, sexies p. h. tradet h. III.

D. LUDOVICUS BACHMANN, P. P. O., privatim 1) binis diebus h. X. *Horatii Satiras* explicabit, 2) binis diebus h. IX. *Callimachi hymnos* interpretabitur; privatissime horis constituendis 1) *Topographiam veteris Graeciae*, duce *Pausania*, exponet quater p. h.; 2) *artis pingendi apud Graecos historiam* enarrabit quater p. h.

D. HELMUTH DE BLUECHER, P. P. O., privatim docebit: *Chemiam experimentalem* octies p. h. h. X. et XI.; 2) *Chemiam practi-*
cam ter p. h. h. II — IV.

D. H. KARSTEN, P. P. O., docebit: 1) publice *trigonometriam* dieb. Merc. et Saturn. h. VIII.; 2) privatim *geometriam analyticam* quater p. h. h. XII.; 3) privatim *mineralogiam* dieb. Lun., Mart., Jov., Ven. h. VIII. — Privatissima denique offert collegia in quavis matheseos et physices parte, neque deerit iis, qui in rebus nauticis edoceri velint.

D. CAROLUS TÜRK, P. P. O., publice 1) *Taciti Germaniam* commentabitur bis p. h. h. II.; 2) privatim tradet *historiam populi Germanici* quinquies p. h. h. VIII.; 3) *historiam medii aevi* sexies p. h. h. IX.

D. CHRISTIANUS WILBRANDT, P. P. O., h. t. Decanus, privatim senis diebus h. V. *Aestheticen* seu *Philosophiam Artis* docebit; 2) diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IV. de *Shakspeario*, Britannico poeta, publice disseret; 3) *Exercitationes seminarii philosophico-aesthetici* moderari perget horis constituendis.

D. FRIDERICUS FRANCKE, P. P. E., publice 1) praecipiet *psychicam Anthropologiam*, quater p. h.; 2) disseret de recta notione *historiae* philosophiae, respectu clarissimi loci Ciceronis in Tusc. quaest. I. 2. c. 1., bis p. h.; 2) privatim docebit 1. *Logicam* quinis et 2. *Metaphysicam* s. philosophiam veri, boni ac pulcri itidem quinis diebus.

D. GEORGIUS NICOLAUS BUSCH, P. P. E., publice diebus Veneris et Saturni h. X. *Sophoclis Oedipum Coloneum* interpretabitur; privatim 1) quaternis diebus h. IV. *metra, quibus Graeci atque Romani usi sunt*, illustrabit; 2) quaternis diebus h. III. *Taciti historiarum libros* explicabit. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. EDUARDUS SCHMIDT, P. P. E., 1) publice *historiam literariam* aevi recentissimi inde ab anno 1760 bis p. h.; 2) privatim *historiam philosophiae* quinquies p. h.; 3) privatim: *philosophiam historiae*, quater p. h. docebit.

D. CAROLUS WEINHOLTZ privatim 1) *Anthropologiam* ex systemate suo docebit; 2) *Introductionem in philosophiam* ex conspectu suo (Rostock 1826) tradet.

Bibliotheca h. XII — I quotidie, festo die et Solis excepto, praeterea quovis Mercurii et Saturni die etiam h. II — III, **Museum** vero die Lunae h. II — IV Commilitonibus nostris aliisque aperientur. Conferatur §. 1. legum de usu Bibliothecae nostrae recens scriptarum. *Gallicam, Anglicam*, aliasque linguas exoticas discendi occasio non deficit. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem *equitandi, pingendi, musicam* et *artem gymnasticam* doceant. *Rei herbariae* studiosis, quum apud praefectum nomina professi fuerint, quotidie aperientur horti Academiae herbarii.

Domicilia commoda quaerentibus monstrabit J. H. Schutze, Academiae nuncius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur
Gustavus Fridericus Wiggers, Ph. et Th. D.

Praesidet ordini Theologorum **J. A. Bauermeister**, Ph. et Th. D. — Jurisconsultorum **C. T. Gründler**, J. U. D. — Medicorum **C. Stempel**, M. D. — Philosophorum **C. Wilbrandt**, Ph. D.